

IV

DE SUFFRAGIO UNIVERSALI.

Suffragium universale nequit tanquam jus naturale omnibus debitum requiri.

NOTIONES. 1) *Suffragium universale* est jus omnium individuorum totius multitudinis, ut suffragio suo concurrant ad eligendos populi deputatos; estque haec *universalitas principiativa*, qualis hodie passim intelligitur. — Sed hanc non omnes eodem gradu volunt: vix ulli omnes homines, aliqui omnes adultos, plerique omnes viros adultos, alii omnes patres-familias electores audeire volunt.

2) Suffragium universale etiam *universalitate terminativa* aliqui radicales volunt, quo non solos legumlatores, sedet principem (reip. praesidem) et inferiores exsecutivae potestatis administros aliquos, imo et judices magistratusque varios potestatis judiciae, suffragio populari eligerent. — Hic quoque alii alia extensione vota sua emittunt.

Stat. quaest. 1) Suffragium universale ordinario universalite principiativa intelligitur; eoque sensu in his nostris propositionibus.

2) Hoc suffragii jus vario aspectu a variis defenditur. Alii defendant illud esse jus naturale singulis hominibus vi ipsius legis naturalis; — alii esse jus naturale non quidem singulis hominibus vi suae naturae humanae debitum, sed societatibus civilibus omnibus quum primum satis proiecta et evoluta civilitatis perfectione sint donatae, i. e. adultae; — alii dicunt illud esse quidem strictum jus naturae, sed opportunissimum medium ad bonam et justam reip. administrationem. — Contra hos singulos singulis propositionibus dicimus.